



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

251. De Clericis qui præficiuntur ptochiis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De eadem re. *Ex decretis Calixti Papa.*

Ca'ixt. epist. 2.
Burchard. lib.
3. c. 49. &
apud Gratian.
7. q. 1. c. 39.

Rom. 7.

CCL. Quoniam sicut alterius uxor nec adulterari ab aliquo vel judicari aut disponi nisi à proprio viro, eo vivente, permittitur, sic nec uxor Episcopi & Presbyteri, quæ ejus Ecclesia vel parrœchia indubitanter intellegitur, eo vivente, alteri judicare vel disponere aut ejus concubitu frui permittitur. Unde Apostolus: *Alligata est uxor legi, quandiu vir ejus vivit. Eo verò defuncto, soluta est à lege viri.* Similiter & Ecclesia, quæ uxor sacerdotis dicitur, eo vivente ei alligata est; eo verò defuncto, nubat in Domino, id est, regulariter. Si enim eo vivente alteri nupserit, adultera judicabitur.

Ne quis alienam parrœchiam usurpet. *Ex epistola Calixti Papa.*

Calixt. ibid.

CCLI. Nemo alterius terminos usurpet, nec alterius parrœchianum judicare aut excommunicare præsumat: quia talis judicatio aut excommunicatio nec rata erit nec vires ullas habebit, quoniam nullus alterius judicis nisi sui sententia tenebitur aut damnabitur. Nullus autem Primas vel Metropolitanus diocesanei Ecclesiam vel parrœchiam usurpet aut aliquem de ejus parrœchia excommunicare aut judicare præsumat absque consilio vel iudicio ejusdem Episcopi; sed hoc observet quod ab Apostolis & patribus ac prædecessoribus nostris est constitutum & à nobis est confirmatum.

Item ex eadem epistola.

Si quis Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam propriam pertinet parrocchiam, sine consilio & voluntate omnium comprovincia-
lium Episcoporum extra aliquid agere tenta-
verit, gradus sui periculo subjacebit, & quod
ita egerit, irritum habeatur & vacuum.

Calixt. ibid.
Capitula
Hadr. I. c.
43.

*De Clericis qui præficiuntur ptochiis. Ex
Concilio Chalcedonensi.*

CCLII. Clerici qui præficiuntur pto-
chiis, vel qui ordinantur in monasteriis & ba-
silicis martyrum, sub Episcoporum qui in una-
quaque civitate sunt secundum sanctorum pa-
trum traditiones potestate permaneant, nec
per contumaciam ab Episcopo suo dissiliant.
Qui verò audent evertere hujuscemodi for-
mam, nec proprio subiciuntur Episcopo, si
Clerici sunt, canonum correptionibus subja-
cebunt; si laici vel monachi, communione
priventur.

Concil. Chal-
cedon. c. 8.
Lib. 7. Capi-
tular. c. 2.

Ut ampliùs Presbyter non habeat quàm
unam Ecclesiam. *Ex Capitularium*

lib. I. cap. LXXXVI.

CCLIII. Statutum est ut unaquæque
Ecclesia suum Presbyterum habeat, ubi id fie-
ri facultas providente Episcopo permiserit.

Lib. 1. Capi-
tular. c. 92.
Burchard. lib.
3. c. 46.

De eadem re. Ex Concilio Nannetensi.

CCLIV. Sicut enim Episcopus non plus
potest habere quàm unam civitatem & vir
unam uxorem, ita Presbyter unam tantum

Concil. Nan-
net. c. 8.
Burchard. lib.
3. c. 47.